

NOMINIS etiam mei abludere non videatur Etymon. Id enim, ex quorundam opinione, castrense & militare est. At certè Principibus atq; Ducibus vtriusque Germaniæ, pro subditis suis excubantibus, familiarissimum esse, ex variis historiarum monumentis liquidò patet.

Quin, si prænominis etiam nostri literulæ anagrammate transponantur, verbum hoc representabunt: G V I L I E L M V S, V I G I L E M V S; quæ sanè sola dictio vigilare & excubare iubet. Si igitur, isti maiorum gentium Poëtæ, ingenii sui fœtibus è parentum appellationibus indiderunt nomina; Schedius Schediasmatibus, Taubmanus Columbis, Artomedes Micis, Leius Idiotismis, &c. quis adeò in sinistram rapiat partem, si & ego, quamquam longè (quod non diffiteor) infra hos positus, titulo Excubiæ mearum ad nominis proprii rationem voluerim alludere?

Cur autem genere hoc carminis Iambico dimetro, quod neq; Catullo, neq; Propertio, neq; Martiali, neq; aliis inter Poëtæ veteres familiare est, versiculos hosce componere voluerim; hac de causa præcipuè factum est, quod rebus diuinis, & hymnis sacris perquàm id videretur accommodatum: non meo quidem, sed grauissimo, tum Patrum orthodoxorum, tum Poëtarum optimorum iudicio. Diuus siquidem Ambrosius, Fortunatus, Gregorius, Prudentius, Sedulius, Flaminus, Melanchthon, Buchananus,
Fabri-